Prima etas mundi que est ab Adam usque ad Noe et diluuium
continet annos secundum hebreos iuxta septuaginta
interpretes 2262 — Deinde secunda etas incipit
Sem cum esset annorum centum genuit Arphaxat biennio
post diluuium. Arphaxat Anno xxxv genuit
Sale a quo antiqui Samaritae. Sale anno xxx
genuit Heber a quo hebrei dicti sunt
Heber anno xxxiiij genuit Falech cuius temporibus edificata est
turris in ciuitate homines ad iniuriam et contemptum dei Nemroth
Gigante nepote Noe filio scilicet Chus filij Cham filij Noe. Huius
autem altitudo turris dicitur tenuisse in numero quinque milium
passuum et clxxiiij paulatim in altioribus coartata ut pondus
imminens facilius sustineret — Diuisiones autem linguarum
lxxij fuisse historie declarant. non quod solummodo tot homines tunc
fuissent et non plures. sed tot tamen principes familiarum ex filijs
Noe procreatos ostendit. qui populos et gentes condiderunt. A di-
uisione ergo linguarum et primatu Heber usque ad natiuitatem
Abrahe qui natus est anno xliij Nini regis Assiriorum computantur
anni centum xcj. secundum hebraicam veritatem secundum alios vero
ccccc xlj —
Falech anno vite sue xxx. genuit Reu. Huius temporibus primum
templa constructa sunt. ut quidam dicunt. et quidam principes gen-
tium tamquam dij adorari ceperunt
Reu anno etatis sue xxxij. genuit Saruch. sub quo Scitiarum
regnum exortum est. Vbi primus regnauit Thanaus
Saruch anno vite sue xxx genuit Nachor
Nachor anno etatis sue xxix. siue ut alij volunt lxxix. genu-
it Thare sub quo regnum Assiriorum et Sicioniorum exoritur
Thare anno vite sue septuagesimo genuit Abraham. anno
Nini regis Assiriorum xliij. qui est annus a diluuio millesimus cc-
xxxviij. ante condita Roma velut altera in occidente Babilonia
Eo autem tempore quo natus est Abraham eminentia gentium
regna erant tria. Sicioniorum. Egipciorum. Assiriorum. Sed Assiri-
orum interim erant potentius atque sublimius. quia rex ille Ninus
Beli filius vniuerse Asie populos. excepta India huic regno subiugaue-
rat. Vnde et primus in mundo regnasse dicitur non quod ille primus rex